Hotter, Lucas; Rueland, Rogerius: Positiones De Supremo Hominis Fine Ex Principiis Rationis Et Revelationis Deductae, Ad Quas Unacum Materia Examinis Ex Mathesi Respondebunt
Salem (Bodenseekreis), 1799 [VD18 90746309] Seite 23



# CAPUT II.

## REVELATIONES ANTIQUI ET NOVI FOEDERIS.

I. Duæ fuerunt Revelationum divinarum epochæ: *una*, quæ ab exordio generis humani cœpta, per Mosen certius ſtabilita, perque poſteros in gente Judaica prophetas continuata ad tempora usque Jeſu Chriſti ſola ſtetit; hanc excepit *altera* per Jeſum Chriſtum, quem modo diximus, atque Apoſtolos divulgata et propagata.

II. Utraque revelatio litteris maximam partem conſignata, in veteris ac novi Teſtamenti libris continetur, et S. Scripturæ nomine decoratur. Nec immerito: — Sunt enim utriusque fœderis libri hiſtorica fide *digniſſimi*, hodiedum *incorrupti* et a viris *divinitus inſpiratis* conſcripti.

III. Intuitu materiæ tota Scriptura Sacra commode diſtinguitur in libros *legales*, *ſapientiales*, *propheticos* et *hiſtoricos*.



http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/hotter1799/0027
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch die DFG